

FR. GABRIEL (MICHAEL MORAN) (1874-1963).

In hospitio prope Bishop Eton, dioecesis Liverpolitanae, sacra unctione roboratus, mortuus est die 16 mart. 1963 Frater Coadiutor Gabriel (Michael Moran).

Templemore, County Mayo, die 5 dec. 1874 natus, et in Loughkieran National School institutus, fidem catholicam bene perceptam habuit. Duo itinera in Angliam quaestus causa fecit, quorum alterum eum in vicinitatem domus nostrae apud Bishop Eton attulit, quo loco in genus equinum educandum adhibitus est.

Eius pater et mater, nonobstante eorum protestantismo, eum hortati sunt ut religionis catholicae studium perageret. Nostram ecclesiam frequentavit. Desiderium vitae Deo dedicatae et determinatio statum perfectionis amplectandi, quam per votum virginitatis iuvenis iam emissum antea demonstraverat, in dies crescebant. Inter postulantes mense iunio a. 1903 adnumeratus est; sed non intravit in novitiatum — ita eo tempore mos erat — nisi anno 1909.

Facta professione die 26 april. 1910, Fr. Gabriel maiorem vitae partem apud Sunderland degit. Ibi necnon et in multis provinciae Anglicae domibus in exercenda sartoris arte maxime se applicuit. Assiduus in labore, brevis, ne dicam inurbanus in sermone, intolerans erat otii, contra quod bonum certamen sane certavit.

Correptus non morbo sed senectute, in cubiculo fere tres annos invitus mansit. Studiosus et in observatione religiosa et in confratribus servandis, difficeretur requievit a laboribus suis. Festo S. Clementis M. Hofbauer, anno 1963, graviter cecidit et sequenti die ad Dominum migravit.